



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 162. De Unione Calvinistas inter & Lutheranos incassum a Pareo actum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. fausto Sydere ex Patre A catholicico ge-  
A. C. 1616. nitus in Lutheri secta enutriebatur, va-  
 riasque Regiones studiorum causa per-  
 vagatus, atque Altdorffii Juris prudentiam professus, ibidem die septima Augusti mortalitatem exiit: Inter cetera ingenii sui monumenta exstat commentarius in Epistolam D. Pauli ad Philemonem: cetera, quæ typis edi curabat, ad jurisprudentiæ forum pertinent.

## §. CLXII.

*De unione Calvinistas inter & Lutheranos incassum a Pareo actum.*

*Jeger. Hist. Eccl. l. 4. c. 3.* **H**oc anno David Pareus Heidelbergensis Theologus Calvinista librum edidit, cui titulus: *Irenicum seu de unione & Synodo*: Pollicebatur ibi magno verborum apparatu, quod omnes utriusque sectæ controversias tam dilucide moderarit, ut utriusque partis Theologi iis tutissime aquiescere possint: quæ tamen verba multo melle, largisque promissionibus referta virium tamen & veritatis parum habuisse, credebant Lutherani; ex quibus Sigwartus Tubingensis Professor hunc librum confutabat: Ceterum prætensæ hujus unionis medium fore proponebat Pareus, si Religionis dissidia ad Synodum generalem devolverentur, interim vero tam  
 Luthe-

Lutherani quam Calvinistæ alterutrius Sæc. XVII. A. C. 1616.  
 sectæ dogmata pro stipulis infirmitatis humanæ fundamento superstructis æsti-  
 ment, & *tolerantiam* inducant, ex qua  
 tandem concordia sperari posset ex his  
 rationibus I. quia inter ambos dissen-  
 sio non est fundamentalis, sed in uno  
 tantum articulo *de Cæna*, & ne quidem  
 de ejus doctrina tota, sed tantum de  
 ejus parte ad salutem non necessaria II.  
 ex dissensu Papistarum averfio, Roma-  
 næ potentiæ incrementum, infirmorum  
 offensiones, &c. oriuntur III. contro-  
 versæ inter S. Patres, Pontificios &  
 Lutheranos exortæ ad concordiam re-  
 ductæ sunt, ea igitur inter Calvinistas  
 & Lutheranos quoque concilianda est.  
 IV. Jam olim bina vice dissidium Eu-  
 charisticum inter Lutheranos, & Zwing-  
 lianos compositum fuit, & Lutherani  
 in Polonia & Bohemia ejusmodi unio-  
 nem inierunt, & hæcenus conservarunt.  
 V. Denique *Civilis* unio inter Principes  
 & Ordines Lutheranos & Calvinistas sta-  
 bilita fuit, proin etiam *Theologi* se ipsos  
 componere possent. Verum Sigwartus  
 has rationes refellens ostendit, quod  
 stantibus Calvinistarum *erroribus* talis  
 unio sperari non possit I. quia recte  
 pugnat cum Ministrorum officio, cujus  
 pars maxima est, ut infestis lupis gregi  
 non parcentibus resistent II. nullibi  
 lega-

Sæc. XVII. legatur, quod veri Prophetæ cum fal-  
A. C. 1616. sis, vel Christus cum Pharisæis vel  
 Scribis, aut viri Apostolici cum Pseudo-  
 Apostolis propter pacem terrenam in  
 caussa Religionis unionem inierint. III.  
 Deus in Vet. Testam. præcepit, ut ejus  
 populus sibi a confusione diversarum Re-  
 ligionum caveret. IV. Calvinistæ hanc  
 unionem non sincere exoptant cum Lu-  
 theranis, quorum confessiones & Theo-  
 logos multarum hæresum & errorum  
 accusant. V. Hæc tolerantia, & syn-  
 cretismus aptissimum est medium in-  
 troducendi libertatem quidvis in caussa  
 Religionis credendi; concessa enim hac  
 tolerantia, protinus etiam licentia da-  
 tur, hanc vel illam amplectendi Reli-  
 gionem. His ita expositis Parei motiva  
 confutabat Sigwartus, ad primum ne-  
 gans, quod nullus sit dissensus in arti-  
 culis fidei fundamentalibus, cum dis-  
 sentiant in articulis de Deo, de lapsu  
 hominis, de caussa peccati, de crea-  
 tione hominis, de Sacramentis Baptis-  
 mi, Cœnæ, necnon de Ministerio, &  
 certitudine salutis &c. Si enim nullus  
 esset dissensus, cur Calvinistæ suam  
 duntaxat Ecclesiam vocant Orthodo-  
 xam, & Lutheranos ab Officiis in exi-  
 lium deturbant? Ad secundum respon-  
 dit, quod vel hoc dissidium, non sit  
 caussa horum scandalorum, vel Calvi-  
 nistæ

nistæ ansam his scandalis per dissonas suas doctrinas dederint, non autem Lutherani, qui errores impugnarunt, & veritatem defenderunt: ad tertium reposuit Sigwartus, quod dissensio inter Patres & Lutheranos non fuerit circa fidei articulos, sed diversos ritus, aut diversas textuum interpretationes, aut diversas phrasas, modosque loquendi, quæ dissensio non rumpit amicitiam & fraternitatem spiritualem, integro manente vinculo charitatis & fidei fundamento: dein negabat, Lutheranos cum Zwinglianis aut Polonis consensisse, sed hos Augustanam confessionem ita variasse, ut in Calvinianam transmigrarit. Acriter autem hic Theologus invehebatur in Pareum, eoquod ausus esset asserere, quod liber Concordiæ nil aliud egerit, nisi ut discordantes Lutheri, Flacci, Brentianorumque opiniones populari incrustatione concordaret, & Sirupum ex tribus speciebus sibi invicem contrariis coqueret, dum, inquit Sigwartus, hoc Pareus opponere audet, manifeste prodit, quanta in eo sit proclivitas ad calumniandum, quam infida invitatio ad pacem, quam nulla sinceritas in toto scripto!

Ex his manifestum redditur, quod nec Calvinistæ cum Lutheranis, nec hi cum illis in rebus fidei plene conspi-

Hist. Eccles. Tom. LV.

P p

rent

Sæc. XVII.  
A. C. 1616.

Sæc. XVII. rent, eorumque collegia Irenica sem-  
 A. C. 1617. per in irritum ceciderint, cum dunta-  
 xat Fraternitatis vinculo jungantur,  
 quando de opprimendis Catholicis  
 agitur, uti in sequentium annorum  
 Historica serie patebit.

## §. CLXIII.

*Controversia circa cultum B. V. Ma-  
 riæ sine labe conceptæ in Hi-  
 spaniæ Regno exorta.*

*Acta Phi-  
 lipp. III. pro  
 imm. Con-  
 cept. Luc.  
 Wadding.  
 Fort. Hueber  
 in Menob.  
 pag. 2296.  
 Sannig.  
 chron. Ord.  
 Menchard.  
 Joann. a  
 S. Mar. &c.*

**R**efertur Ordinis Seraphici Scriptores,  
 quod quidam ejusdem Instituti A-  
 lumnus, nomine Franciscus de S. Ja-  
 cobo, Beatissimam Virginem sine labe  
 conceptam singulari cultu profecutus  
 sit, eandemque his verbis: *Laudetur  
 Immaculata Conceptio Mariæ*, salutandi  
 morem in Hispania introduxerit, unde  
 ipsam Beatam Virginem in Guadalu-  
 penfi Conventu sibi dicentem audierit:  
*meæ Immaculatæ Conceptionis mysterium  
 promote.* Ut ut sit circa hanc visionem,  
 id omnino certum est, quod hæc quæ-  
 stio jam sæculo decimo quarto exorta,  
 ingentique contentione inter SS. Domi-  
 nici, & Francisci Alumnos agitata,  
 nondum anno Domini supra millesimum  
 sexcentesimo decimo sexto finem ha-  
 buerit. Quamvis enim Basileense Con-  
 cilium sententiam de B. V. immaculata  
 tan-

*Sess. 36.  
 anno 1439.  
 die 15. Octob.*